



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1740. usque ad annum 1742

**Fleury, Claude**

**Augustæ Vindelicorum, 1787**

**VD18 90119649**

§. 74. Ludovici XV. Galliarum Regis epistola ad Papam in eadem hac  
caussa.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67882](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67882)

stitutionis observantia editas, necnon Sæc. XVIII.  
Epistolam encyclicam Parisiensis Ar- A. C. 1742.  
chiepiscopi, imo ipsum etiam Breve  
Benedicti XIV. proscripserunt: post fa-  
ctam tamen Regis declarationem ho-  
rum ausus fuere repressi.

## §. LXXIV.

*Ludovici XV. Franciæ Regis epistola  
ad Papam.*

Postquam Ludovicus Franciæ Rex  
Breve Apostolicum unacum Bene-  
dicti XIV. literis paterno affectu plenis  
receperat, ingenti perfusus gaudio quan-  
tocyus Comiti de Stenvilla negotium  
dedit, ut Regis nomine summo Pontifi-  
ci filiale gratitudinis obsequium exfol-  
veret: ipsemet vero Rex dicto Breve,  
& Regia declaratione Parlamenti tabu-  
lis inserta, die decima sexta Decem-  
bris Versalliis hæc ad Papam rescripsit:

*BEATISSIME PATER!*

„Literæ encyclicæ, quas Sancti-  
tas sua ad Regni mei Episcopos nuper-  
„rime in suis Cleri Gallicani comitiis  
„congregatos dedit, opportuno tem-  
„pore ad me perlatæ sunt, moxque Co-  
„miti de Stenvilla mandavi, ut Sancti-  
„tati suæ testaretur, cum quanta animi  
„voluptate pretiosum hoc Apostolici sui  
„zeli suæque eruditionis monumentum

Z z 2

„re-

Sæc. XVIII. „receperim. Ad litteras Sanctitatis suæ  
 A. C. 1742. „ad me die decima septima elapsi Men-  
 „sis Octobris datas respondere distuli,  
 „ut simul Eidem aperire possem mentis  
 „meæ sensa, necnon media, quæ piis  
 „Sanctitatis vestræ consiliis magis con-  
 „sona ad pacem Gallicanæ Ecclesiæ red-  
 „dendam adhibere decreveram. Nunc  
 „vero Sanctitati suæ abs dubio jam no-  
 „tum erit, quod Ejus literas encycli-  
 „cas mox in mea Typographia Regia  
 „prelo excudi jusserim, & quod ipse-  
 „met ad quemlibet Franciæ Archiepi-  
 „scopum illius exemplum transmiserim,  
 „eos serio adhortatus, ut ad regulas  
 „tam sapienter a Sanctitate vestra stabi-  
 „litas suam agendi rationem exigent.  
 „Et sane, non sine magno animi júbilo  
 „expertus sum, quod omnes ad exe-  
 „quenda paterna Sanctitatis vestræ con-  
 „silia paratissimos sese exhibuerint. Ea-  
 „propter die decima tertia hujus Men-  
 „sis Regalem Curiam habui, & pro tri-  
 „bunali sedens declarationem meam,  
 „quam hic annecto, a Parisiensi meo  
 „Parlamento ad acta referri præcepi.  
 „Inde Sanctitas sua cognoscet, quod  
 „potissimam articulorum in nova hac  
 „lege contentorum partem idem con-  
 „cordiæ spiritus dictarit, qui Sanctita-  
 „tis vestræ literas encyclicas direxerat.  
 „Ceterum reliquas particulares circum-  
 stan-

stantias, quæ hanc rem concernunt, Sæc. XVIII.  
 meus Legatus Sanctitati vestræ refe- A. C. 1742.  
 ret, mihi unice sufficiat, ut iterato  
 testimonio Sanctitatem suam certissi-  
 mam faciam de sincera mea gratitu-  
 dine, & immoto studio, quo execu-  
 tioni dari procurabo ea mandata, quæ  
 juxta æquissima principia, & mode-  
 ratissimam Sanctitatis vestræ mentem  
 nuperrime dedi. Nil ergo aliud mihi  
 superest, nisi ut Sanctitati vestræ signi-  
 ficem, cum quanta consolatione per-  
 ceperim a Comite de Stenvilla gra-  
 tam notitiam de recuperata sanitate  
 vestræ Sanctitatis. Spero etiam, hæc  
 nova proximis ejusdem literis, quas  
 anxie exspecto, confirmatum iri. Fa-  
 cile Sanctitas sua imaginari sibi pote-  
 rit inquietas curas, quæ me ob adver-  
 sam ejusdem valetudinem obruere:  
 notus enim Sanctitati vestræ est tener-  
 rimus meus erga Eam affectus, &  
 quam firmiter persuasus sim, quod re-  
 ligionis Catholicæ emolumentum, Se-  
 disque sacræ gloria, necnon omnium  
 Fidelium salus & consolatio a Sancti-  
 tatis vestræ incolumitate plurimum de-  
 pendeat. Sum cum filiali reverentia

*SANCTITATIS VESTRÆ,*  
 BEATISSIMI PATRIS

*Devotissimus Filius*  
 LUDOVICUS.

Z 1 3

Ita

Sæc. XVIII.  
A. C. 1742.

Ita scripsit & sensit de summo Pontifice in rebus Ecclesiam concernentibus Rex Christianissimus, qui nullum in terris superiorem se quoad temporalia agnoscit. Quibus ergo Ecclesie Gallicanæ systema invehere libet, filiale quoque obsequium & reverentiam erga S. Sedem, ejusque supremum Caput imitari non pigeat.

§. LXXV.

*Rei gestæ notitia S. Purpuratorum Collegio a Benedicto XIV. communicata.*

Hoc negotio ad vota confecto Benedictus XIV. Pontifex Maximus die decima tertia Januarii anno 1757. <sup>secretum</sup>, ut vocant, habuit Consistorium, in quo præprimis de vacantibus Ecclesiis Episcopalibus præfatus, gravibus oppido verbis sacro Purpuratorum Collegio injunxit, ut hanc allocutionem suam Consistorialibus actis insererent. Postea sermonem convertit ad valetudinis suæ statum adeo periculosum, ut Sanctissimo Viatico, ac extrema unctione muniri voluerit. Postquam vero, prosequeretur Pontifex, fervidæ ad Deum preces fuerunt fusæ, atque hac